SOCIETÀ DI CONCERTI

TORINO



ISAIA

Cantata sacra in due parti

Testo latino di GIUSEPPE ALBINI

MUSICA

DI

LUIGI MANCINELLI

Teatro Regio di Torino

AUTUNNO 1901



Centesimi 30

TORINO

TIPOGRAFIA ROUX E VIARENGO

1901.

PERSONAGGI

Isaia profeta . . . . Costantino Nicolay.
Il re Ezechia . . . . Florencio Constantino.
Giuditta, figlia di Isaia . . . Elisa Bruno.
Anna, sorella di Ezechia . . Amelia Karola.
Sennacherib, re degli Assiri . Emanuele Bucalo.

Coro di Vergini, di Seniori, di Sacerdoti,
di Ministri, di Popolo

L'azione si svolge in Gerusalemme, regnante Ezechia

Massa corale di 140 voci dell'Accademia di Canto Corale *Stefano Tempia*, diretta dal Maestro F. Pachner, altro Maestro, E. Lena.

ORCHESTRA MUNICIPALE DI 90 PROFESSORI

Maestro Concertatore e Direttore d'orchestra

LUIGI MANCINELLI

Altro Maestro: A. Luzzati

PARTE PRIMA.

1. *Preludio e preghiera* (Coro di Vergini).
2. *Recitativo e coro* (Ezechia, Isaia e coro di Seniori).
3. *Recitativo e profezia* (Ezechia ed Isaia).
4. *Coro e duetto* (Giuditta ed Anna).
5. *Coro e preghiera* (Ezechia, Isaia, Anna, Giuditta, Vergini e Sacerdoti).

PARTE SECONDA.

6. *Preludio, recitativo e solo di tenore* (Ezechia).
7. *Coro di Vergini.*
8. *Solo di soprano* (Anna).
9. *Recitativo, intermezzo sinfonico e solo di baritono* (Sennacherib).
10. *Inno finale.*





ISAIA



L'azione si svolge in due parti. Il vecchio Ezechia, re d'Israele, attende nel tempio con angosciosa impazienza il ritorno dei messi ch'egli inviava a Sennacherib l'Assiro; e le fanciulle di Giuda, fra cui stanno Anna, sorella del re, e Giuditta, figlia del profeta Isaia, pregano Iddio.

(La situazione è quella delineata nel capo XXXVI del libro di Isaia, ove si narra che « L'anno quartodecimo del re Ezechia il re di Assiria Sennacherib salì contro tutte le città forti di Giuda e le prese; poi andò con grande stuolo contro il re di Gerusalemme »).

Ed ecco i messi ritornano, guidati da Isaia, e recano la crudele risposta dell'invasore. Sennacherib, deridendo la vantata potenza del Dio d'Israele, ha respinto ogni preghiera, e minaccia sterminio. Già il popolo, atterrito dall'esempio sanguinoso delle altre terre, chiede si aprano le porte all'Assiro; le sue voci, incerte dapprima, poi a grado a grado crescenti, si fanno strada nella maestà del tempio.....

Allora sorge Isaia, il profeta di Giuda. Ispirato dal Cielo, già egli intuisce il futuro; vede un gigante immenso appressarsi minaccioso a Solima, per volere dell'Onnipossente; ma che teme il popolo, se nel Signore suo ha fede? La salute verrà dall'alto... Escano contro all'invasore le vergini di Solima, pregando per la patria; Iddio, che permise le vittorie di Sennacherib a punizione dei falli commessi, salverà le fanciulle da ogni violenza brutale!

Ed alla sua voce, che tuona nella lirica ispirata, risorge la speranza nei cuori. Mentre più furiosa urla fuori del tempio l'orda popolare, chiedendo che la città si arrenda, ad un cenno di Isaia si spalancano le porte, e le turbe ammutiscono, vedendo la coorte virginale pronta ad affrontare il nemico della patria. Ezechia ha una superba invettiva:

Quo vos, quo cæcus furor rapit? Ecce, proh pudor! furit
Dum populus, pro patria audent ire ad hostes virgines.

Ed in un canto di gloria s'uniscono le voci, mentre le fanciulle fiduciose s'avviano al campo nemico.

La seconda parte si svolge presso il campo degli Assiri, ai piedi di Gerusalemme, nella quiete profonda d'una notte stellata. Ezechia, trascinato dal profeta, attende pauroso il miracolo che Iddio per sua bocca promise. « Ove è la vendetta — egli chiede — che tu predicasti? Ove le vergini, su cui scenderà protettrice la mano di Dio? »

Isaia, il veggente, non dispera. Egli scorge nell'alto due angioli che sovrastano il campo nemico, e l'uno si appella Salvezza, l'altro Vendetta...

Infatti, mentre al campo s'accosta, ed Ezechia, alquanto rassicurato, canta la bellezza della notte profumata e la grandezza del passato davidico, ecco un coro lontano di fanciulle sale inneggiando nella pace infinita. Le voci s'appressano: Anna scorge nell'ombra il gruppo del Re e del profeta, e ad essi volge il discorso; e narra come, accolte nel campo Assiro, mentre già negli occhi dei nemici sfavillava la gioia dell'orgia cui per vendetta erano destinate, una gran voce tuonasse dall'alto, ed un improvviso torpore gravasse sul campo Assiro, agevolando la fuga.

« Ecco il potere di Dio! — grida Isaia. — Egli udì le nostre preghiere; egli s'appresserà, e brandirà la spada, e distruggerà nel fuoco il campo maledetto ».

Non è ancora finita la profezia, che una nube improvvisa avvolge le tende assire. Scoppia il fulmine, e tra gli urli dei morenti la voce di Sennacherib chiama inutilmente alle armi i soldati.

La morte gli sta dintorno; l'Angelo del Signore percosse le sue schiere; egli stesso cadrebbe per mano di Ezechia, se Isaia, salvandolo, non lo dannasse alla vita, per indurlo a riconoscere la potenza del Dio d'Israello.

Allora la tempesta svanisce; il sole nascente illumina le torri di Sion, donde il popolo cantando scende incontro al suo Re; e nella luce nuova erompe l'inno di riconoscenza al Signore.



PARS PRIOR.

(*In templo: fores obseratæ sunt. Mane est. Puellæ, quibus præsunt Anna et Judith, ad aram orant. Ezechias rex impatienti studio Seniorum reditum expectat*).

Chorus Puellarum.

Ad aram fugimus, Deus,
Ad nidum ut trepidæ alites;
Nobis et patriam et bonus
Serves virginitatem.
Cum nostris Solimæ, Deus,
Jacent Principibus tui
Profetæ: an temeret pede
Sinas barbarus ossa?
Urbi qui exitium paret,
Sacris qui sacra ab ædibus
Mensæ vasa ferat decus
Imponenda profanæ?
Surge, obsta; hic locus, hostium
Securus minitantium,
Pergat rite canentibus
Puellis resonare.

Ezechias.

Huc, ecce, properant Nuncii seniliter,
Sed, heu! dolorem præ oribus suis gerunt.
(*Ingreditur Chorus Seniorum duce Isaia*).

Senes.

Salvete cuncti, Rex, ministri, virgines:
Salveque, templum, spes et urbis gloria.

Isaias.

Utinam ego vobiscum hic fuissem jugiter! . . .
Quid dixit aut quid tacuit hostis impius? . . .
Senes, referte; vox mihi hæret faucibus.

Senes.

Jussi superbum, Rex, tyrannum adivimus;
Ille ast cachinnum tollit extemplo insolens:
—Isti ne,—clamat allocutus principes,
—Phalanx Sionis sunt?—Sionis,—inquimus,
—Legati.—At ille:—per deos factum bene!

Queis balba ob annos lingua, queis ademta mens,
Mittuntur! Aurem non dabo, vos mihi date.
Pius ero vobis rex, modo aperiatur urbs;
Sin, ipse aperiam, nec sinam superstitem
Quemquam esse, patriam lugeat qui dirutam.
Num vos moratur Numinis spes irrita?
Quocumque victor signa gessi, plurima
Idola vidi, quæque gens queis fideret;
Sed, advocatus, nemo ab aris aureis
Deus prodibat: ceu procella, transii.
Deus ne vester plus valebit ceteris?
Sistat furentem, quo ruo in pugnas, equum;
Meæ obstet iræ, atque obvius gladio meo
Eat, modo ausit. . . . —Plura sed dicere nefas.
Nos demum abire, vel magis fugere, jubet:
Et nunc prope urbis mœnia equites curritant,
Clausosque cives territant suis minis,
Simulque tentant, pollicentes grandia.
Nosti tuos, Rex, quam leves sint mentibus:
Promissa captant, hostium minas tremunt,
Urbemque dandam clamitant jam esse hostibus.
Quorum vim et arma, quanta sint, verbo audies:
Non tot Sione tela tractant milites,
Quot personant per illa castra tubicines.

(Interea audiri cœptæ sunt voces populi, qui ante templum coit.)

Ezechias.

Heu! cui ignavis imperare contigit, miserrimum!
Quid? caterva urgente sæva, flebo ut imbellis puer?
Prœlio subducar? . . . . Immo prœlians mortem oppetam:
Dum pro patria dimicatur, ipsa mors victoria est.
Eia age, aut sequatur, ipsa aut civitas regem opprimat;
Nam, Deum obtestor, locus non ullus hic vecordiæ,
Me vivo et rege. . . . . . At Propheta numine afflatur Dei:
Omnes, o, favete linguis; fata Vates præcinet.

Isaias.

(Isaias futura profatur simplici granditate, ut si præterita enarraret.)

Astitit ad Solimam, sævis horrendus in armis,
Vasta mole Gigas: Libani velut ardua cedrus,
Nubibus inseruit crinito vertice frontem;
Instar et alarum furvæ immanisque volucris,
Attonitam late super urbem brachia pandit.
Is fuit Assyrius, fuit ultrix virga Tonantis,
Qua populos Deus et reges percussit iniquos,

Æquavitque solo turres ac terruit urbes.
Sed domini projecta manu quid virga valebit?
Quidve amens populus cæca formidine fertur? . .
Nam Pater Omnipotens,—Ecce, inquit, nunc Ego surgam.—
Surrexit, venit. Montana cacumina fumant,
Ceu plenæ in templo fragrantis thuris acerræ;
Contremit et tellus, mare: cælum concutit astra;
Ingens auditur tonitrus, vallesque resultant,
Ac trepidæ nutant silvæ superimpendentes.
Quo, quo nunc abiit legio densissima, ut unda
Quæ pelago alta ruat, nigra incumbente procella?
Quove abiit dirus, monstrum execrabile, ductor,
Cujus vox tonuit, ceu clangor mille tubarum? . .
Exeat urbe puer, securaque castra pererret:
Parvi illic cineres, arsa ut post ligna, supersunt;
Taurus at inde, Deus cui ferreum naribus orbem
Indidit, ad patrias mactandus truditur aras.

(*Paulisper conticescit. Tum os et vultus ejus immutatur; animus in suavi rerum divinarum contemplatione defixus hæret*).

Sed bonus usque Deus, pœnam clementia tardat.
Quantaque jam sæclis miracla videnda futuris
Nunc mihi panduntur! Procul, o, procul este, profani.
Florem davidica nasci e propagine cerno,
Et puerum intacta gigni de virginis alvo.
O ego Te veneror, nimia heu! ætate remotus,
Te trepidanti animo, Te flexo poplite, Christe!
Quem Pater Omnipotens cælo demittet ab alto,
Ut genus humanum revoces a crimine turpi,
Utque pius pacem doceas, doceasque salutem:
Tantane divinis animis miseratio nostri?
Sed miserum, si cui adfuerit non creditus Ille!
Audi, vera loquor, Jerusalem, et ipsa pudicum
Mitte puellarum diros nunc agmen ad hostes;
Quæ precibus certent immitia frangere corda
Et scelere incœpto violentum avertere regem.
O fortunatum, docilis si acceperit ille
Verba Dei! Sin, contemtis senioribus ante,
Nunc etiam haud dubitet trepidum tentare pudorem,
O tum, virginibus vigili sub numine tutis,
Sentiat oblatam quid sit sprevisse salutem
Inque manus iramque Dei cecidisse tremendi.

(*Interea crevit popularis clamor, atque interdum istius modi voces percipiuntur:*

Ah! pandite, pandite portas:
Sic fas sperare salutem . . .
Quæ Regem amentia cepit?
Vultne omnes nos iugulari?)

Anna.

Inclyta Judith, Vate orta sacro,
Castum ad festas choreas agmen
Lætis duximus usque diebus:
Nunc ne pigebit ducere ad hostes?

Judith.

O Regis soror Anna, periclis
Oblector magis ego quam choreis:
Quo Deus imperat, ocyor ibo,
Sitiens vitreas quam cerva ad acquas.

Anna et Judith.

Surgite; pulset neque corda pavor,
Fronte neque albus cadat alba flos:
Surgite cunctæ; pessimum ad hostem
Tutum fit iter comitante Deo.

(*Hic ad templi fores puellarum acies instruitur. Tum fores panduntur, ac populus furens, perspectis puellis, confestim obmutescit.*)

Ezechias

(*Magna voce, stans in limine templi.*)

Quo vos, quo cæcus rapit furor? . . . Ecce, proh pudor! furit
Dum populus, pro patria audent ire ad hostes virgines.

(*Puellæ concinentes incipiunt egredere, atque per medium populum admirantem proficiscuntur.*)

Anna.

Qui metus? pergam. Deus ipse ad hostes
Ire nos cogit, revehetque tuto:
Quisquis es, nostris precibus precem adde,
  Vir mulierque.

Judith.

Læta spes urget! Pueri et puellæ,
Spem fovete omnes; ego nec catervas
Nec mori per vim metuam, tegente
  Numinis umbra.

Ezechias.

Heu, labat sceptrum soliumque regum!
Omne sub regno est graviore regnum:
Unicum votis, iuvenes senesque,
  Flectite Regem.

Isaias.

Quod semel dixit Deus, usque servat
Terminus rerum stabilis. Resurgant
Busta majorum, videantque mira
Signa Tonantis.

Puellæ.

Læta spes urget! Pueri et puellæ,
Spem fovete omnes, mulierque virque.

Sacerdotes.

Unicum votis, iuvenes senesque,
Flectite Regem.

Populus.

(Dum jam puellæ e conspectu egrediunt.)

Virginum lectæ patriam cohorti
Credimus cives, tibi sed cohortem:
Protege o flores, Deus, urbis, ipsam
Protege et urbem.

PARS ALTERA.

(Planities prope Assyriorum castra, ad radices montium Jerusalem posita. Ezechias atque Isaias ab urbe adveniunt. Stellans nox; alta quies.)

Ezechias.

Quo me, Propheta, ducis? aut ubi ultio,
Quam prædicasti, Numinis? ubi virgines,
Quas Numini ipsi liberandas dixeras?

Isaias.

Ah! contice, horam neu Deo præscripseris.
Jam, cerno, castris Angeli impendent duo:
Salus vocatur alter, alter Ultio!

Ezechias.

Expecto credens, qui profano lumine
Nil imminere cerno præter sidera.

(Isaias ad hostium castra accedit, ut qui penitus ceteris occulta perspicit. Ezechias, paulisper malorum oblitus, loci naturam noctisque serenitatem admiratur.)

Ezechias.

O quam voluptas dulcis! O quam languida
Noctis quies inconsciæ!
Perfusus aer undecumque suaviter
O quam nitenti lumine!
Psallebat istis dulce David noctibus,
Genusque doctum Davidis
Istis canebat sole verno fusculam,
Tamen venustam virginem.
Ego at, dolenti castra propter hostica
Mente ambulans, Deum anxius
Expecto: venias, quem vocavit civitas
Suum usque propugnaculum!
Tum carmen ipse vos docebo, gloriam
Pandente nocte Numinis,
Colles Sionis inclytæ dulcissimi,
Nimbo aureo circumdati.

(Virgines ex Assyriorum castris exeuntes submissa voce Dei laudes concinunt, quæ, ante quam ipsæ videantur, ad Ezechiæ Isaiæque aures perveniunt.)

Chorus Puellarum.

Pulchri, cernite, ramuli
Diris integri ab ignibus
Excedunt: Deus ignium
Frustravit violentiam.
Ventis candida lilia
Non sunt rapta furentibus:
Ventorum Deus annuens
Omnem contudit impetum.
Agnæ traditæ hiantibus
Ventre urgente leonibus
Vivunt: ipse leonibus
Vires, qui dedit, abstulit.
Vicit virgineus pudor
Hostilem petulantiam:
Somnus nam incubat hostibus,
Jussus Numine provido.

Anna.

(Ezechiam et Isaiam alloquens, qui obvii ierant.)

Vere o pium atque providum semper Deum!
Excepit Hostis nos malo cum gaudio,
Quas dixit esse non Sionis nuntias,
Regi at tributas rite primitias novo.
Mensas parari jubet: amore et crapula
Se jurat omnem velle noctem condere.

Mixtæ perunctis patrio nardo viris,
Inter rosarum vim coactæ accumbimus.
O qua feruntur perfidi superbia!
Mero quot explent fervido ciboria!
Quot hauriendis nos culullis incitant!
Deo at jubente, haurire musta ut cogimur,
Merum illico fit limpha vinum innoxia,
Ceu læta serpens rivulus per gramina.
Dein surgit ebrius, obvius Rex mihi venit,
Alii obvii istis . . . . . Magna tum vox detonat
Non ita! . . . . . Potentem o quam Deum!
    Rex, principes,
Totisque castris milites, custodiæ,
Qua quisque parte fuit, cadunt, obdormiunt;
Magnumque circumquaque fit silentium:
Exire castris nos latens vis impulit.

Isaias.

Piis amicus Deus, at hostis hostibus.
Heu, heu! vocat in prœlia demens
Omnipotentem Rex Assyrius.
Miserum! Audit Deus, exurgit, adest;
Castra vorabit,
Flamma ut siccam crepitans stipulam,
Magno cælum murmure jam horret,
Nimbus castris imminet, inter
Gemitus media in nocte coruscat
Gladius vindex:
Heu! procumbite; Deum adorate.

(Dum Isaias loquitur, hostium castra nubes tæterrima involvit, mediusque gladius late coruscat. Tum fulminis ictum gemitus et ululatus prosequuntur, quos inter Sennacherib regis vox agnoscitur.)

Sennacherib.

ex castris.

Heu! quid est? quid est? . . . quis horror, quis fragor, quis hic locus? . . .
Paveo, heu, me pudet fateri! . . . Milites, consurgite!
Currite, arma ferte cuncti; cuncta clangant classica. . . .
Nemo audit? . . . Tu, nate, saltem surge: proh nefas! jacet
Cæsus hic, . . . cæsique cuncti . . . Heu! — Vincis, o vere Deus! . . .
Execrandas o tenebras! . . . pessimum o cladis genus! . . .)

(Hic de nube, quæ incipit evanescere, Sennacherib erumpit, sed, hostium adspectu perculsus, repente consistit.)

Sennacherib.

Quis jam me miserior? Isac quis Deo est atrocior? . . .
Copias qui tot habui mox, pulchriores milites
Quam cedros Libani comantes, nunc superstes unicus
Fugio: perniciem ultimam! huc, huc, concitatis gressibus
Tendo, ubi in manus feroces ipse me tradam hostium . . .

Ezechias.

(distringens gladium.)

Nam huic vitam ensi offerre debes, ipse quam hauriat, tuam.

Isaias.

Conde ensem, Rex, parce victo; victor instat huic Deus.
Quam insolens jactavit aciem, cuncta inanis labitur,
Ut furenti actus aquilone pulveris nigri globus;
Quem primum natum genuerat, nocte truncat Angelus;
Ceteri vivunt, reversum qui osculabuntur patrem,
Ipsi ipsum neci scelestis mox daturi dexteris.

Sennacherib.

Heu! cur, cæde inexplete Vates, omen horrendum adiicis? . . .
Quam justus, quam terribilis est, quam potens Deus tuus! . . .

(fugit.)

Isaias..

Præcipiti abiit taurus saltu,
Celsa Deus cui cornua fregit;
Jam non cauda, raucum reboans,
Verberat auras,
Jam non flammea lumina torquet.
Sed prope adest Sol, qui urbis tutas
Roseo vestit lumine turres:
Omnipotenti Servatori
Dicite carmen,
Lætum, populi, dicite carmen.

(Interea nubes evanuit. Sol rutilus exoritur atque urbis culmina decorat. Ex urbe Populus turmatim adventat.)

Chorus Puellarum.

Quem rebus in ruentibus
Jerusalem vocaverat,
Mira Deus victoria
Lætatus est Jerusalem.

Anna.

Jam tela ponunt milites,
Metumque ponunt virgines;
Locum, jubente Numine,
Bellum relinquit nuptiis.

Judith.

Aurora pellat somnia,
Vesper reportet sidera;
Dicam Dei miracula
Ter fortis atque amabilis.

Ezechias.

Ubi est tubarum strepitus?
Ubi ære cincta corpora?
Obdormierunt vespere,
Nec mane surgunt milites.

Isaias.

Frondosa silva corruit
Magnis repente incendiis:
Silens jacet per aggeres
Tantæ cinis superbiæ!

Chorus Puellarum.

Rex summe, præsens Isaci
Tutela, vires, gloria,
Quos sospitasti territos,
Ames eosdem sospites.

Populus.

Mirabilem victoriam
Dei ad videndam currimus:
Cui jam Deus non creditus?
Idola quis non destruet?

Omnes.

Rex summe, præsens Isaci
Tutela, vires, gloria,
Quos sospitasti territos,
Ames eosdem sospites.